

recentiffimos. Huc adduxit B. *Quensted.* System. P.I. p.366. seq. *Turcas, Iudaeos, Arianos, Photinianos, Socinianos, et Arminianos.* Hodie Diabolus in neganda et destruenda Christi diuinitate ea utitur fraude, ut neget illam in antiquiori et primitiua post Christum natum Ecclesia a Patribus et fidelibus creditam fuisse. vid. Dn. *Godofredus Arnoldus in der Kirchen- und Ketzer- Historie.* Lib.I. C.V. Auctor Tractatus: *Le Platonisme de Voile,* apud celeberrimos Autores *der unschuldigen Nachrichten* de Anno 1702. p.80. seqq. *Christophorus Christophori Filius Sandius* in Nucleo Hist. Eccles. contra quos vid. testimonia *Originis* apud Magnif. Dn. *D. Fechtium* in *Philocal. Sacr.* p.138. reliquorumque Patrum in *B. Calouii* Dissertat. de confessione Martyrum aliorumque fidelium de SS. et indiuidua Trinitate, Vittenbergae 1685. habita, in Catalogo testimoniorum Libris nostris Symbolicis annexo. p. 833. seqq. *Benedict. Picteti* nouissima Theol. Christian. T. II. P. I. L. III. C. XX. et Lipsiens. in Actis 1702. p. 74. seqq.

§. XXIII.

Porism. III. *Sanguis Christi in scriptura nunquam vel Christi vitam, vel virtutem ex plenitudine IESU Christi ad crucifixionem et mortificationem veteris hominis emanantem notat.* Quia, ut haecenus ostendimus, per sanguinem Christi tota eius obedientia tum vitae, tum mortis intelligitur. Conf. §. II. At vero haec omnia iam Christum viuere praesupponebant, conf. Ebr. II, 14. Vita opponitur morti: Si virtutem significat sanguinis effusio, mortem impediuiisset. Est sanguis antitypicus N. T. adumbratus §. III. Atqui sanguis hic erat proprius, quippe sanguis hircorum et vitulorum conf. Ebr. IX, 13. 14. non vero vel vitam vel virtutem notabat. Sanguis Christi effunditur, homines adspersit, utpote per iuuencae sanguinem in V. T. adumbratum. Conf. §. X. Quis autem de vita et virtute Christi dixerit, quod effundatur, quod aspergat homines? Contra *Quakeros*, speciatim *Crispum* in antiqua veritate detecta. p. 305. seqq. et *Christianum Democritum*, vero nomine *M. Iohannem Conrad. Dippelium* in dem *Del und Wein* p. 315.

§. XXIV.